



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Illis fragilitas, lapsus, negatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Nec Mundi dominam times Romam, qui in domo Caiphæ expaveras Sacerdotis ancillam. Vincebat materiam formidinis vis amoris: nec æstimabas timori cedendum; dum horum salutem confulis, quos susceperas diligendos. S. Leo s. 1. in Natali SS. Petri & Pauli.

Nemo Co-Apostolorum in amore sui Jesu fervidior. B. Ivo. Carnot. s. in Cathedra S. Petri.

Humilitas.

Matthæus 16. 17. fusè narrat Petri confessionem, & ejus præclara encomia. At Marcus c. 8. 29. breviter. Cur id? Marcus scripsit Evangelium, juxta sibi relata à Petro, ut testatur Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 5. Cùm in enarranda historia Evangelica S. Petrus incidisset in suas laudes, eas omninò silet; illas alteri, scilicet Matthæo, reservat. S. Chrysof. hom. 49. in Matth. Marcus, qui Petri discipulus fuit, quæ ad Magistri laudem pertinent, forsitan ipsò deprecante, ne magnificè de eo diceret, omninò silit. Sylveira in c. 11. Matth. 25. cap. 20.

Beatus es Simon Bar-Jona, Matth. 16. 17. Has laudes Marcus 8. 29. non ponit Petri discipulus; cùm hoc ad magnam ejus gloriam spectaret. Marcus scripsit, quod à Magistro suo Petro percipiebat: Petrus autem supprimebat, quidquid propriam laudem redolere videbatur. Sylveira hic.

Da eis pro me, & pro te. Matth. 17. 26. Vide, quantà philosophiâ utitur Petrus: hunc enim locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur; quoniam ingens hic honor magistro deferrebat. Sed negationem quidem ille quoque diligentissimè scripsit. Hæc verò, quæ ad magistri laudem pertinent, ipsò forsitan deprecante, ne magnificè de eo diceret, omninò silit. Id. hic.

Pœnitentia.

Egressus foras flevit amarè. Matth. 26. 75. Prodiit Petrus foras, & se contulit, ut Adrichomius, & alii tradunt, in quandam speluncam, inter Jerusalem, & montem Sion; ibique usque ad diem resurrectionis jugiter flevit. In quo loco postea erecta est Ecclesia in Petri honorem; & perpetuam lacrymarum, & pœnitentiæ, memoriam. S. August. s. 121. de temp. flere coepit amarè, quia Dominum suum coepit amare. Sylveira hic.

Trinam negationem trino amore delet.

Non solum eum semel; sed iterum, & tertio, interrogasti: ut trinâ confessione amoris deleat trinam peccatum negationis. S. August. l. 50. de Verb. D. secundum Joan.

Impletur numerus dilectionis; ut deleat numerum negationis. Id. s. 2. fer. 4. Pasch.

Redditur negationi trina confessio; nè minus amori lingua serviat, quàm timori; & plus vocis eliciat videatur mors imminens, quàm vita præfens. Sit amoris officium, pascere Dominicum gregem; si fuit timoris indicium, negare Pastorem. Id. tr. 128. in Joan.

Petrus, qui audaciùs secutus fuerat, ita adhuc longè erat; ut interrogatus, & perturbatus, ter negaret Dominum; cum quo se moriturum esse promiserat. Qui postea, ex longinquo ut propinquus fieret, audivit post resurrectionem: *Amas me?* & dicebat: *amo*. Et dicendo propinquabat, qui negando longè factus erat; donec trinâ voce amoris solveret trinam vocem negationis. Id. in Pf. 37.

Alia Virtutes.

Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. Matth. 14. 28. S. Hilarius can. 14. in Matth. quòd respondere Petrus solus audeat, & juberi sibi, ut super aquas ad Dominum veniat, precatur: passionis tempore voluntatis suæ designat affectum.

Faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. 4. Quare non dixit: faciamus sex? forte ideo: quia putabat in illis tribus tabernaculis se, & duos discipulos, recipi posse, & commorari; sic tamen, ut ipse esset in tabernaculo sui charissimi Magistri. Dion. Carthuf. hic.

In verbo autem tuo laxaborete. Luc. 5. 5. Quàm alta, & præclara, dixit Petrus hac unâ voce! I. eximiam fidem ostendit. Bonavent. Petrus, dum dicit: *in verbo tuo laxaborete*, confortatus est fide plenissimè. Et hic primò accepit illam magnam promissionem. v. 10. *ex hoc jam homines eris capiens*. Petrus erat valdè peritus piscandi; & sciebat bellè, nocte faciliùs capi pisces, quàm per diem: quia nocte natant super aquam, die verò ad ima transeunt. Et cùm per noctem Petrus in illo stagno nec unicum piscem coeperit; tamen plus fidei tribuit verbo Christi, quàm naturali experientia. 2. Petri spes, quæ ideo perfecta, ut ait S. Bonaventura; quia habuit confidentiam non in suis meritis; sed in verbo Dei; copiosos piscesprehendit. Sylveira hic q. 12.

§. III.

Petri fragilitas, lapsus, negatio.

Nolite me considerare, quòd susca sum. Cant. 1. 5. *quia decoloravit me sol*. S. Ambros. lib. de poster. Apol. David. c. 8. ea sic legit: *nolite aspicere me, quia obscurata sum, quia non est intuitus me sol*. Ergo fuscatur, quando non videmur à Christo; sed, quando videmur, albescimus. Si Petrum percunctemur: quid hoc rei Petre? qui factum, quòd Magistram ter negasti? unde illas tam fœdas maculas contraxisti? posset respondere: non est intuitus me sol. At si rursum quæres: unde nunc tam pulcher factus? unde ista tibi tam decens venustas? respondet: à sole se visum: *conversus Jesus vidit Petrum*. Quando à Christo videmur, albescimus. Did. Niss. fer. 2. D. Palm. §. de lacrymis Petri.

Est omnes scandalizati fuerint in te. Matth. 26. 33. S. August. s. 24. de temp. Petrus, non additò adjutoriò Dei, promiserat se pro Deo moriturum. Sed quid est homo sine gratiâ Dei? nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christum. Et ideo Petrum paululum Dominus subdeleruit; ut in illo totum humanum genus posset cognoscere; nihil se sine Dei gratiâ prævalere. Sylveira hic.

Kkk

Petrus

Petrus sedebat foris, in atrio. Matth. 26. 69. Primum Petro præcipitium objectum, quod sederet, ad ostium foris. Drogo Ost. l. de Pass. D. propterea negabat, quia intus esse nolebat. Heu! quanto se exponunt periculo, qui sui cordis arcana non lustrant; qui intra se, aut nunquam, aut raro, volunt esse. Baeza t. 1. l. 4. c. 2. §. 4.

Cur Petrus permissus labi? S. August. l. 124. de temp: ut in clavibus esset fidelis janitor, in sententia clementissimus dispensator.

Ob hoc Petrus hæsitare permissus est; ut in Ecclesiæ principe remedium penitentiae concederetur. S. Leo. l. 9. de Pass.

Non humiliter, neque constanter, ut debuit, ingressus est. Et fortasse ideò corruit:

quoniam, non ut pugnaret; sed ut finem videret, accessit. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 8. de Petro.

Donnum, ignarus sui, passione timidus, & frigidus charitate, solò corpore sequebatur. Si enim dilectione fervuisset, ad ignem minime accessisset. Id. ib.

Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsu tota contremuit. Ubi est illa promittentis audacia? & de se plurimum præsumptis? Ubi sunt verba illa, quando ait: quare non possum sequi modò? animam meam pro te ponam. Hoccine est, sequi Magistrum, se negare Discipulum? sicine pro Domino anima ponitur? ut, hoc nè fiat, vox ancillulæ formidetur? S. August. tr. 113. in Joan.

TITULUS XXI. PETRUS & PAULUS.

Discurrunt per universum Mundum duo splendidissimi negotiatores; portantes coram gentibus, & regibus, & filiis Israel, pretiosa Fidei mercimonia: circumferunt aromata justitiæ, thura divinæ venerationis, incensum compunctionis, balsamum castitatis. S. August. l. 5. in festo Apost. Petri & Pauli.

Petrus, & Paulus, jugati boves Ecclesiæ, qui orbi terrarum insignem operam navarunt; qui pro jugo crucem sustulerunt, at pro fessore Salvatorem: pro jugi nexu Scripturarum utrumque Testamentum, pro stimulo Spiritus S. gratiam. Penuaria Dominica, publica totius Mundi hospitia, spiritus receptacula. Petrus spiritualis meus amor; Paulus vas electionis meus baculus. Petrus templum Dei; Paulus os Christi, lyra spiritus: qui tricubitalis est, & cælum attingit. Cursor velocissimus, in cælum aquila volans. Sed de Petro quid dicemus? qui dulce spectaculum est Ecclesiæ, splendor totius Mundi, columba castissima, Apostolorum Doctor, Apostolus ardens, spiritu fervens; Angelus, & homo. qui ob puritatem beatus, & filius columbæ, ex Dominico ore audivit. Vos estis regum protectio, Christianorum muri, barbarorum adversarii. S. Chrystost. orat. encomiastica in Principes Apostolorum.

Reverendissimos Patres vocat S. Maximus hom. in Nat. SS. Petri, & Pauli.

Martyrum Duces, Apostolorum Principes, S. Bernardus l. 1. in festo SS. Petri, & Pauli,

Isti sunt, Petrus, & Paulus, duo magna luminaria. Id. id.

Quid pulchrius hac duorum oppositione fratrum spiritualium, contra duos fratres, qui urbem illam (Romam) fundaverunt: duo namque fratres Romulus, & Remus, illam fundaverunt; malò nimirum auspicio, ut nunquam deesset civilis discordia. Nam ut nobis Auctor ait: fratres primi maduerunt sanguine muri; Romulus quippe Remum interiecit per impatientiam consortii. Pulchrò igitur spectaculo contra germanos discordes missi sunt hi duo spiritu fratres, spirituali germanitate concordēs: ut supra vetera discordiæ fundamenta novum concordiæ fundamentum Christum ponerent; novamque novo Regi Deo civitatem struerent cum sui profusione sanguinis: quæ pro magna firmitate Apostolicæ Fidei veraciter dici meruit justitiæ fides, Fidei domus, aulo pudoris; cum antea fuisset superbiæ solium, avaritiæ profundum, vorago sanguinis, & puteus homicidiorum. S. Rupertus de oper. Spiritus S. l. 6. c. 9.

Ambo Christi Discipuli, cum inspicerentur, Divinum quiddam præseferbant, Spiritu Sancto, & divinâ gratiâ, ita resecti: ut, qui non viderent Fideles, ex aspectu solum arcanam quandam, & latentem exciperent gratiam; morèsque, & vitam unâ cum Fide conformarent, & in melius converterent. Nicephorus l. 2. c. 37.

